

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3486

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Bouchard de Mailly [particulier]

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1248, juin

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, concède en fief et à hommage lige à Bouchard de Mailly et à ses héritiers les village de Picauville et Petitville que Mathieu de Mailly avait reçus en don du roi Philippe [II].

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 473, p. 78-79.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum Rex, notum facimus quod nos villam que dicitur Piquadivilla et villam que dicitur Petitevilla, quas tenet et habet dilectus et fidelis noster Mattheus de Malliaco, ex dono et concessione inclite recordationis, Philippi avi nostri, dilecto et fideli nostro Buchardo de Mailly in feodum ligium damus et concedimus sibi et heredibus suis de uxore sua desponsata procreatis et procreandis, ad usus et consuetudines Normannie, et salvo omni jure alieno, ita quod dictus Mattheus toto tempore vite sue predictas villas teneat et habeat, similiter et ejus heredes de uxore sua desponsata in posterum procreandi, et hoc etiam salvo quod si villa que dicitur Mons-Martini non sufficeret ad solutionem perficiendam quinquaginta librarum annui redditus, quas in puram et perpetuam eleemosinam dedimus abbacie monialium de Porregio cisterciensis ordinis, cum in eadem percipere debeat ex dono nostro alias quinquaginta libras abbacia monialium de Thesauro Nostre Domine ejusdem ordinis, residuum capietur in dicta villa de Petitevilla. Hoc etiam semper salvum retinemus, quod si aliquando dictaret nobis conscientia quod de dictis villis restitutionem aliquibus facere vellemus, nobis liceret non obtante predicta donatione, nec dominus Buchardus vel heredes ejus predicti possent in ea aliquid reclamare, vel contraire. Volumus quoque quod dictus Mattheus fructus et exitus dictarum villarum habeat post decessum suum per duos annos, ad faciendum prout de eisdem duxerit disponendum. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno Domini M° CC° XL° VIII° mense junio, regni vero nostri XXII, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : Dapifero nullo ; Signum Stephani Buticularii ; Signum Johannis Camerarii ; constabulario nullo. Data, vacante cancellaria.